



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

159. An possit excusari consuetudo celenrandi Missam dosque Ministro, vt
in Garmaniae locis? Et supponitur iure Ecclesiastico necessarium esse
Ministrum in celebratione Missae praeter Sacerdotem. Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

Sup. hoc infra in Refol. 184. §. Nota tamen.

c. 43. n. 1. Azorius p. 1. lib. 8. cap. 18. q. 15. & Homobonus de exam. Eccl. p. 1. tr. 4. cap. 15. q. 143. qui etiam tenet Sacerdotem, neque peccare mortaliter, si celebret Missam in altari, in quo imago Crucis non existit, & citat multos, quibus adde Villalobos in sum. part. 1. tract. 8. diffie. 26. n. 6.

Sup. hoc in fine Ref. seq. & infra in Ref. 157. §. 1. post mediū, vers. Et quidem.

3. Nota etiam, quod celebrare cum vnica candelam cerea ex casu necessitatis, putauit Nugnus ubi sup. esse tantum peccatum veniale.

RESOL. CLVI.

Virum Sacerdos in casu necessitatis, secluso etiam scandalo, possit celebrare cum lumine olei?
Et an ob causam non tamen grauem valde celebrari possit cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, aut seuo, modo scandalum absit? Ex part. 2. tractat. 14. Refol. 67.

Sup. hoc in Ref. præterita.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Henricus lib. 9. de Missa, cap. 26. n. 4. & cap. 29. n. 7. vbi ex consuetudine à tempore Apostolorum introducta, & ex autoritate multorum Patrum, probat usum celebrandi cum lumine cerei igniti, & in hanc sententiam inclinat Bellarm. lib. 2. de Missa, c. 14.

2. Sed ego existimo in graui necessitate, & secluso scandalo, & contemptu, non esse mortale peccatum celebrare cum lucerna ex oleo, quia olim in Sanctuario lampades in cultum Dei ardebant, vt ait D. Thom. in part. 2. q. 101. art. 1. ad secundum, & ita Sacerdotem celebrantem non damnarem, ait Suarez in 3. part. tom. 3. diff. 81. §. 6. quem postea sequitur Fagundez de præc. Eccl. tract. 1. lib. 3. c. 3. n. 17. licet addant, hoc ante factum, non esse consulendum.

3. Sed ego in tali necessitate constitutus, si non adesset aliorum scandalum, cum lumine olei celebrarem. Vide supra q. 45. & mecum sentit Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 29. cap. vlt. p. 3. §. 6. n. 196. Filliuc. tom. 1. tr. 5. c. 4. n. 126. & nouissimè Layman. lib. 5. tr. 5. c. 6. n. 17. vbi ita ait. [Licet communi Ecclesiarū consuetudine receptum sit, vt lumen sit geminum, & in cera, ob causam tamen, etiam non valde grauem, celebrari possit cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, aut seuo, modo scandalum absit.] Ita ille.

Sup. hoc in §. vlt. Refol. præterita, & infra in Ref. seq. §. 1. post mediū, à vers. Et quidem.

RESOL. CLVII.

An si Minister extinguat candelam à parte Epistola ante finitum Euangeliū S. Ioannis, peccet venialiter?
Et inferitur nullum esse peccatum celebrare extra necessitatem cum vno lumine, vel ad suum esse tantum peccatum veniale.

Et cursim docetur preces pro preparatione Missæ non esse dicendas ante Missam de Requiem, eo quod omitti debent, quia Psalmi habent Gloria Patri, qui quid solemnitate, & suauitate habent.

Et an in predictis Missis de Requiem omitti debeant oscula crucis in amictu, stola, & manipulo induendis; tum quia prohibentur in Missa solemnī, tum quia non osculatur Sacerdos librum in Missa defunctorum, nec Minister osculatur ampullas, quas celebranti porrigit. Ex part. 10. tract. 12. & Misc. 2. Refol. 20.

§. 1. Affirmatiuè respondet Franciscus de Nigro de Ordine celebrandi Missam, part. 3. §. 11. q. 3. vbi sic ait: Quæres, an sit peccatum, saltem veniale extinguere candelam ex parte Epistolæ, antequam explicet Euangelium S. Ioannis? Aliqui Ministri, vel auari, vel pigri extinguunt alteram candelam:

Sed vt ait P. Trimarchi peccat saltem venialiter (modò non reperitur in iis crassa ignorantia) quia Pij V. Constitutione vetitum est in celebratione Missæ alias vsurpare cæremonias, nisi quæ eius mandato præscriptæ sunt, atque editæ. Ita ille. Sed cum in medio Euangelij S. Ioannis, Clerici solent extinguere dictum lumen, vt possint postea statim alterum extinguere, ne Sacerdos cogatur illos expectare: ideo puto in tali casu nullum adesse peccatum veniale, quia parum pro nihilo reputatur: nec Bulla Pij transgreditur, vt vult Nigrus. Et quidem si aliqui penes Leandrum de Sacram. tom. 2. tract. 8. diff. 7. quæst. 10. asserunt, nullum esse peccatum celebrare extrâ necessitatem cum vnico lumine; vel ad summum, vt vult Hurtadus, Fagundez, & alij, quos citat, & sequitur Leandrus loco citato; esse tantum peccatum veniale, certè durum videtur dicere cum Nigro, Clericum, qui extinguit lumen à parte Epistolæ, non adhuc finitò Euangelio S. Ioannis, peccare venialiter.

2. Nota hic obiter dictum de Nigro ubi supra §. 12. num. 1. asserere, Preces pro preparatione Missæ non esse dicendas ante Missam de Requiem, & quod omitti debet, tum quia prohibentur dici ab Episcopo ante Missam defunctorum, ex Cerem. p. q. lib. 2. §. 2. cap. 26. & 28. tum quia Psalmi habent Gloria Patri, quod nescio quid solemnitate & suauitate habent, ille. Gauantus in Rubrica Missalis, part. 1. tit. 3. n. 1. asserit, dictas Preces omitti posse, sed non debere, vt vult Nigrus; & communiter dicuntur. Item etiam Nigrus ubi supra num. 2. sic ait: Quæres, an omitti debeant oscula crucis in Amictu, Manipulo & Stola induendis? Probabile est, quòd omitti debeant; tum quia prohibentur oscula rerum in Missa solemnī, tum quia non osculatur Sacerdos librum in Missa defunctorum, nec minister osculatur ampullas, quas celebranti porrigit. Sic ille. Sed communiter contrarium obseruatur, & tenet Gauantus loco citato.

RESOL. CLVIII.

An Sacerdos peccet mortaliter celebrando Missam sine Ministro, ne careat Missa in die festo, vel prius moribundo Viaticum, aut quid aliud simile? Ex p. 2. tract. 14. Refol. 43.

§. 1. Affirmatiuè respondet Fernandez in exam. theol. mor. p. 3. c. 5. §. 4. n. 8. Barthol. ad Alex. in gelo in exam. Confess. dial. 5. §. 401. quem postea sequitur est Bonacina de Sacram. disp. 4. quæst. 2. n. 3. punct. 9. num. 33.

2. Sed ego puto non peccare, & ideo in magna necessitate, qualis est diei festi, aut dandi moribundo Viaticum, vel quid simile, celebrationem Missæ sine ministro licitam esse censeo. Ita Villalobos in summa, part. 1. tract. 5. diffie. 34. n. 2. Pitigianus in summa, part. 2. dub. 23. n. 69. & Syluius 3. p. 9. §. 1. art. 5. aliter ita facientem non damnare. Vide Fagundez in exam. Eccl. lib. 3. cap. 21. n. 6. Homobonus de Bonis in exam. Eccl. part. tract. 4. cap. 15. quæst. 146. & alios.

RESOL. CLIX.

An possit excusari consuetudo celebrandi Missam sine Ministro, vt in Germaniæ locis?
Et supponitur iure Ecclesiastico necessarium esse Ministrum in celebratione Missæ præter Sacerdotem.
Et notatur licitum esse Sacerdoti celebrare sine Ministro.

nistro ad dandum Viaticum infirmo.
 Idem dicendum est, ne careat ipse Sacerdos, aut populus
 Missa in die Feste.
 Et an Sacerdos possit Missam iam ceptam cum Mini-
 stro prosequi sine illo, quando Minister abiit, & ex-
 pectatus non venit?
 Et an in casibus necessitatis, in quibus licitum est sine
 Ministro celebrare, etiam si adsit femina, que possit
 ministrare, potius sit sine Ministro celebrandum,
 quam utendo femina ministerio, etiam in casu, quo
 vir nesciat respondere, sciat autem ministrare, non
 potest femina respondere, & vir ministrare? Ex
 part. 10. ut. 15. & Misc. 5. Ref. 26.

§. 1. **S**uppono contra Glossam in cap. quoque de
 Consecrat. dist. 2. vers. ipse tertius, Emanuelem
 S3, vers. Missa, n. 17. Navarrum, cons. 6. de corpore vi-
 uantis, quem citat, & sequitur Zerol. in praxi Episc.
 part. 2. vers. Missa, §. tertio. Suppono inquam contra
 dictos Auctores iure Ecclesiastico necessarium esse
 Ministrum in celebratione Missæ præter Sacerdotem,
 & est communis sententia omnium Doctorum, quem
 sequitur D. Thomas in 3. p. q. 113. art. 5. ad 12. Suar.
 tom. 3. disp. 87. sect. 2. concl. 2. Fagundes princ. 1. lib. 3.
 cap. 2. n. 4. & alij penes ipsos, sed difficultas est an in
 aliquo loco, vt in Germania, possit excusari consue-
 tudo in contrarium, & videtur negativè responden-
 dum; Tum quia Parochi plerique leui sumptu pos-
 sunt alere eiusmodi ministrum, & adhuc facilius Pa-
 rochi omnes possunt vel per se, vel per ludi modera-
 torem vnum vel alterum puerum ad hoc instruere, vt
 etiam cum parentum solatio Missis ministrent, præ-
 terquam quod etiam suos aditus quamvis rusticos,
 adhibito nonnullo studio ita informare possunt, vt
 experientia testatur. Denique etiam si prorsus impos-
 sibile esset habere ministrum respondentem, non pos-
 sent tamen iure communi licite sine Ministro cele-
 brare nisi in necessitate, vt superius diximus. Quare
 communi iure excusari non potest hæc consuetudo
 à peccato mortali.

2. Verum hoc non obstante talem consuetudinem
 non audeat damnare Layman, lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 13.
 vbi sic ait. Quod verò ad consuetudinem actinet, quæ
 in quibusdam Germaniæ locis viget, vt Sacerdotes
 seculares maxime in pagis Missam sine Ministro re-
 spondente celebrent, eam tanquam abhorrentem ab
 Ecclesiæ traditione etiam in Germania nostris Ca-
 nonibus decretis (vti videre est in Basil. Concil. sess.
 21. cap. de iis, qui in Missa, &c. Concilio Moguntino
 ann. 1549. c. de Missa officio rectè peragendo) Episcopi
 emendare deberent. Interim verò dum viget, ac tole-
 ratur, non potest Sacerdos damnari, si ita celebret.
 Ita ille, cui etiam adde Adamum Tannerum tom. 4.
 disp. 5. q. 10. dub. 6. n. 91. sic asserentem. Nihilominus
 tamen quia in quibusdam Provincialibus Germaniæ
 Conciliis quiddam hac in re indultum est, vt dictum,
 eademque est ratio aliorum Episcopatum, in quibus
 passim nemine contradicente, saltem in pagis absque
 Ministro respondente celebratur, hinc merito videri
 potest eorum iuri per consuetudinem derogatum,
 præsertim si seruetur moderatio in Synodo Ratispon-
 nensi, & Brixienti præscripta. Hæc Tannerus.

3. Sed hic obiter nota primò licitum esse Sacet-
 doti celebrare sine Ministro ad dandum viaticum in-
 firmo. Ita Doctores, quos citat, & sequitur Leandrus
 de Sacram. tom. 2. tr. 8. disp. 7. q. 53. quibus adde Præp.
 in 3. part. q. 83. art. 3. dub. 7. n. 177. Lessium in 3. part.
 D. Thomæ, q. 503. dub. 10. n. 67. Trullench de Sacram.
 lib. 3. cap. 8. dub. 23. n. 3. & me citato Tamburinum,
 opuscul. de Sacrament. Missæ, lib. 1. cap. 7. §. 5. n. 4. cum
 amico in Cw. Theol. tom. 7. disp. 33. sect. 12. num. 369.

Setra in 3. part. quest. 83. art. 5. §. An vero; & Auerfa
 vbi infra. Secundo licitum erit Sacerdoti sine Mini-
 stro celebrare, ne ea careat ipse, aut populus Missa in
 die festo. Ita me citato Auerfa vbi infra, Leandrus
 vbi supra, quest. 54. & me citato Auerfa de Sacram.
 Eucharist. q. 11. sect. 9. §. quod si contingat, Præpositus,
 vbi supra, & etiam me citato Dicastillus de Sacram.
 tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 12. num. 234. qui n. 136. ad-
 uertit quod etiam poterit Sacerdos Missam iam in-
 ceptam cum Ministro prosequi sine illo, quando Mi-
 nister abiit, & expectatus non venit. Defectus Ministri
 non est tanta, & tam vrgentis necessitatis, vt pro-
 pterea incepta Missa, maxime si eam obtulit, debeat
 omitti.

Sup. hoc ibi-
dem.

4. Addit etiam ex Soto, & aliis in casu necessi-
 tatis in quo diximus licere sine ministro celebrare,
 etiam si adsit femina; quæ possit ministrare potius
 esse sine ministro celebrandum, quam utendum fe-
 minæ ministerio, quia hoc expressus est iure prohibi-
 tum, & de se quid indecens, magisque vitandum.
 Imo Vasquez contra quemdam suppresso nomine
 relatum contendit in casu, quo vir nesciat responde-
 re, sciat autem ministrare, non posse feminam re-
 spondere, & virum ministrare. Quam sententiam præ-
 fertim improbat Vasquez, & improbabilem iudicat
 si ex eo tantum capite fiat quod vir sciat ministrare,
 & non respondere: hanc enim necessitatem nullam
 iudicat Vasquez ad celebrandum Missam, sed potius
 esse omittendam, vt sæpe inculcat tam in materia de
 Eucharistia, quam de Sacrific. Missæ, sed de hoc iam
 diximus, & aliquando potest occurrere necessitas
 celebrandi non seruatis omnibus, quæ expressè re-
 quiruntur, & communiter pro celebranda Missa:
 sola verò responsio feminae non est adeò indecora
 vt alibi.

Sup. hoc, &
 contentis in
 §§. seq. hu-
 ius Ref. in
 Ref. seq.

5. Potest tamen, ait Dicastillus, & Cardinalis
 Lugo quod si sit vir, qui nesciat respondere, & fe-
 mina sciat, illa non accedens ad Altare respondeat,
 & vir ministret. Vnde me citato Leandrus, quest. 56.
 admittit posse Sacerdotem in casu necessitatis admit-
 tere feminam ad ministerium mediatum, seu remo-
 tum vt sibi ex loco remoto respondeat, non verò ad
 ministerium immediatum, seu proximum vt v. g. ad-
 ministrat vireos, &c. Et ideo non est audiendus
 Luzzinus in Summa, tom. 1. vers. Missa, n. 4. vbi sic ait:
 Puto autem casu quod immineret necessitas celebra-
 di, puta dies festus, vel aliquid simile, & seruitor
 nullus adesset, illicitum est sine vilo prorsus Mini-
 stro sacrificare. Hinc D. Laurentius vt refert Ambro-
 sius, lib. 1. offic. cap. 41. Sixto Pontifici cum ad suppli-
 cium duceretur dixit: Tu nunquam Sacrificium sine
 Ministro offerre consueueras. Scio quendam Theo-
 logum tanti feminas facere, vt etiam det eis facult-
 tatem respondendi Sacerdoti in Missa. Iste est Suarez,
 qui in Comment. 3. p. D. Thomæ, tom. 3. disp. 87. sect. 1.
 circa finem, sic ait: Quamuis remotè possint femi-
 næ interdum respondere Sacerdoti, vt ex choro face-
 re solent in Missa solemni, tamen proximè ad Altare
 respondendo, ministrare aquam, & vinum præstan-
 do, & alia similia faciendo, nec possunt, nec debent.
 Quod inuentum, & distinctio de respondente proxi-
 mè ac remotè ad Missam antiquioribus Magistris
 semper displicuit; de quorum numero Dominicus
 Soto, in 4. disp. 13. q. 2. art. 5. ait. Citius auderem ego-
 met mihi respondere, & ministrare, quam feminam
 ad id muneris admittere. Ita Luzzinus.

6. Sed à nobis superius dicta satis probabilia
 sunt & non debebat dictus Auctor ita acriter contra
 Patrem Suarez insurgere, & de illo mirari, sed po-
 tius debebat insurgere contra Nugnum, qui vt alibi
 adnotauimus in 3. part. can. 83. art. 6. dub. 1. aperte do-
 cet

Alibi in Ref.
 seq. §. 1. & 2.

cer feminam posse immediatè, & proximè Sacerdoti ministrare, quod omninò negandum esse puto, cum sit contra communem Doctorum sententiam, & contra Ecclesie consuetudinem, & contra Nugnum insurgit nouissimè Tamburinus *opusc. de Sacrificio Missæ*, lib. 1. cap. 7. §. 5. n. 3. & Trullench. *de Sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 2. n. 2.* & me citato P. Aucta *de Sacram. Euchar. q. 11. sect. 9. §. si verò nullus.*

RESOL. CLX.

An Sacerdos in casu necessitatis possit feminam in responsione ministram adhibere in celebratione Missarum? Ex part. 2. tract. 14. Ref. 44.

Sup. hoc in Ref. præterita §. Ad. dit. vsque in finem dictæ Ref.

§. 1. **N**egatiuè respondet Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 6. num. 13.* Homobonus *de exam. Eccl. p. 1. tract. 1. cap. 1. §. 9. 146.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 88. sect. 1.* Villalobos *in summ. p. 1. tract. 8. diffic. 34. n. 1.* Ioan. de la Cruz *in direct. cons. p. 2. de sacr. Missæ. q. 3. dub. 5. concl. 2.* Zanardus *in direct. Theol. p. 1. de sacrif. Missæ. cap. 1. §. in fine.* Pitigianus *in 4. tom. 1. disp. 13. q. 2. art. 5. in fine.* Fernand. *in exam. Theol. p. 3. cap. 5. §. 4. n. 7.* Squillante *de oblig. Cler. part. 2. dub. 23. n. 70.* Molfes. *in sum. tom. 1. tract. 3. c. 10. n. 40.* & alij ex autoritate cap. 1. *de cohab. Cler. & mul.* vbi dicitur, vt nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare.

2. Sed non reticebo, Didacum Nugnum *in 3. p. tom. 2. p. 83. art. 6. dub. 1. fol. mibi 516. col. 2.* contrariam sententiam docere, nempe quòd si non sit vir, vel ille non possit ministrare, quòd tunc debet femina & respondere, & ministrare: nam ex hoc nullum sequitur inconueniens, & ex alia parte fit sacrificium debito modo, sine confusione, & verificantur salutationes ad populum, & responsiones. Ad argumentum contrarium respondet, illa verba intelligenda, extra tempus grauis necessitatis, hoc enim manifestè significat verbum illud, *non præsumat*, in nostro enim casu femina non præsumit, sed hoc facit ex commissione Sacerdotis, propter stantem necessitatem: & Sacerdotem ita celebrantem, nempe cum femina, non peccare mortaliter, putauit Syluius *in 3. p. q. 83. art. 5. in respons. ad 12.* sed tu tene primam opinionem.

RESOL. CLXI.

An sacerdos celebrans Missam, si alium non habeat, possit vti Ministro excommunicato non denunciato? Et quid in graui necessitate, si talis sit excommunicatus denunciandus, & vitandus? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 91.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de excomm. disp. 10. §. 4. ex errore 8. dub. 2.* cui adde Suarez *disp. 12. sect. 1.* & Turrianus *lib. 2. de excomm. disp. 11. dub. 1.* quia in tali Ministro potest considerari, vel indignitas personæ si est in peccato mortali, & hæc ratio non impedit, quia ad inferiendum Missæ non est status gratiæ necessarius, vel prohibitio Ecclesie comparatione talis officij, & hæc credi potest pro tali euentu suspendi ab Ecclesia, quæ doctrina intelligenda est, quando grauis vrgeret causa faciendi Sacrum, alias, vt sæpè diximus, Concilium Constantien. nullum fauorem concederet excommunicato: vnde etiam si non sit denunciatus, priuatur hac communicatione. Notat etiam Turrianus quòd si loquamur de excom-

municato vitando post denunciationem, idem dubium esse potest, an in casu necessitatis possit inferi Missæ, in quo consideranda est grauis necessitas.

RESOL. CLXII.

An Sacerdos peccet mortaliter, si in aliquo loco, ubi non adest Missale, celebrat Missam? Et an Sacerdotes, quibus debilis est facultas videndi, si memoria callcant, possint dicere Missam sine Missali? Ex part. 2. tract. 14. Ref. 46.

§. 1. **H**anc questionem indecisam reliquit Suarez *in 3. p. & disp. 81. sect. 6.* & in affirmatiuam sententiam videtur inclinare Reginaldus *in 2. lib. 29. cap. 9. part. 2. sect. 6. n. 197.* & docet apertè Esguendez *tract. 1. lib. 3. c. 2. n. 23.* Valquez *in 3. p. tom. 1. disp. 23. cap. 3. n. 26.* & Fillius. *tom. 1. tr. 8. c. 1. n. 17.* 2. Sed ego cum Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 6. num. 13.* Villalobos *in sum. p. 1. tract. 8. diffic. 26. n. 5.* & Lellama *in sum. tom. 1. de Euchar. cap. 20. post 8. concl. primo* in tali casu Sacerdotem non peccare, dummodo sit ita instructus, & de sua memoria confidens, vt certè non dubitaret posse se omnia integrè dicere sine Missali, quamuis non sine alio libro libro Missalis, & notam aliquam incurrat apud alios. Hinc Valquez *vbi supra*, putauit Sacerdotes, quibus debilis est facultas videndi, si memoria callcant, posse.

RESOL. CLXIII.

An Sacerdos vrens Missali Romano possit celebrare iuxta Ritus receptum in loco, per quem transit, etiam si discrepat à Romano, iam in Ecclesia seculari, quam Regulari? Ex p. 4. tr. 4. & Missæ. Ref. 93.

§. 1. **V**t si, v. g. quis transiret per monasterium Monachorum D. Benedictini, D. Dominici, &c. & responderet affirmatiuè Ioannes Prepositus *in 3. part. quest. 83. art. 4. dub. 5. num. 190.* quod non tantum intelligit de Ecclesia seculari, sed etiam de Regulari, & ideo Religiosum, vel sacralatem transeuntem per monasterium quod vitur alio Missali quàm Romano, posse in eo monasterio celebrare iuxta ritum ibidem receptum, neque videti in hoc parte plus permittendum existenti in Ecclesia seculari quàm in loco regulari, quia non est potius privilegium respectu Religiosorum, quàm respectu secularium, vt propterea sit dicendum externas personas posse celebrare in Ecclesia seculari, iuxta illius ritum, non verò in regulari, cum singulari Ecclesie minus regulares, quàm saculares relinquuntur antiquæ consuetudini. Ex quo deducitur idem dicendum si ritus celebrandi Missam in proprio loco & alieno discrepat à Romano, scilicet aliquem festam existentem posse celebrare iuxta ritum receptum in loco vbi celebrat, & hæc omnia docet Prepositus *loco cit.* quæ alij non approbant, & melius citata hanc questionem an aliquid sit declaratum à sacra Cardinalium Congregatione.

RESOL. CLXIV.

An Sacerdos in celebrando non obseruans Rubricam Missalis peccet mortaliter? Et quid si vnam, vel alteram Rubricam non obseruauerit?